



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 6. Lucernensis Reipublicæ querelæ contra Apostolicum Nuntium apud
Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„vertendi, ni violenter abduci velim;
„Copia proscriptionis est sub Lit. F.
„Exterminatus edicto tam ferali totam
„exinde noctem infomnis, & quo me
„tam cito verterem, consilii anceps, id
„solatii sequenti mane accepi, quod
„vicinus Reverendus Dominus Carolus
„Franciscus Sidler Parochus in Kùs-
„nacht ad me accesserit, me, meos-
„que consolans, ut præfixum termi-
„num anteverterem, urgens: postquam
„Divos Ecclesiæ meæ Tutelares extre-
„mum salutarem, complorantibus Pa-
„rochianis, me in suas sedes abdu-
„xit, ubi adhucdum ago, quousque
„Deus Ter. Opt. Max. melius provideat;
„ita sub fide Sacerdotali testor, Con-
„stantiæ datum 30. Novembris 1725.

*Christianus Leontius Andermatt,
Parochus in Udlingen Schweiß*

§. VI.

*Lucernensis Reipublicæ querelæ con-
tra Apostolicum Nuntium ad
Papam.*

Ad hæc minime otiosi perstabant Lu-
cernensis Reipublicæ Senatores,
sed potius, ut suis querelis majus pon-
dus accederet, ad ceteros Catholicos
gentis suæ Pagos literas dederunt,
qui

quibus Sedis Apostolicæ Nuntium, quin ulli valediceret, clam discessisse querebantur, unaque eos ad vindicanda Reipublicæ jura ab eodem, quemadmodum & ab Episcopo graviter læsa, ex titulo mutui foederis animabant: Verum hi cum illis causæ societatem inire renuebant, seque duntaxat mediatorum partes acturos declarabant: Ast major Lucernensium sollicitudo eo collimabat, ut Pontifici facinus suum quodammodo colorarent; præprimis ergo die nona Novembris criminabantur Nuntii Apostolici abitum, datis super hoc ejusmodi literis.

Sec. XVIII.
A. C. 1725.

Sanctissime Pater!

„Non facile explicabimus animi No-
„stri affectum, quo perculsi fuimus, cum
„Dominum Passionei Sanctitatis Vestræ
„Nuntium ordinarium se ex mandato
„speciali Sanctitatis Vestræ Civitatem
„Nostram reliquisse profiteri audivimus,
„nam, quod nemine salutato, discessu
„non indicto, per tenebras dignitatis
„charactere, omnique convenientia
„civili neglectis exierit, parum nos
„movit, jam ab ingressu suo alienati
„sui a nobis animi instructos, sed man-
„datum illud, si verum, intima Cordis
„nostri perturbat, licet enim nobis inde

C 3

„con-

Sæc. XVIII. „conjicere, quod aut fictitiis, aut saltem
 A. C. 1725. „ad sinistram detortis, ut pridem antea,
 „ita de novo Sanctitatis Vestræ pater-
 „num animum exulceraverit. cum au-
 „tem, quid prætendat, nesciamus, ni-
 „hil nobis reliquum, quam ad Sancti-
 „tatis Vestræ pedes ingenue declarare,
 „quod non solum ad tam exosum di-
 „scessum occasionem non dederimus, sed
 „nec ulla inter nos nova sit exorta aut
 „contentio, aut differentia. Speramus
 „inde propitiam, & apertam Sanctita-
 „tis Vestræ aurem, quando certius de
 „hoc informatam Sanctitatem quoque
 „vestram, illa, qua par est, obedientia
 „filiali veritatis certiolem reddemus,
 „interim humillimo pedum osculo, nos,
 „Nostraque demississime commenda-
 „mus. „

Verum literæ istæ parum aut nihil
 omnino contra Nuntium Apostolicum
 profecerunt: Hic quippe jam antea in
 suas etiam partes pertraxerat Haniba-
 lem Cardinalem Albanum, qui quam-
 vis Helveticæ gentis Protector esset,
 ad Nuntii tamen relationem hoc fa-
 ctum Reipublicæ vehementer expro-
 brabat.

§. VII.